



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Rationes pro Infinito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

indivisibilem; hoc enim ipso per æternitatem destrui non posset, quo certè nimum limitaretur Dei dominium. Unde S. Ambr. lib. 1. Hex. cap. 3. ait, *Esse inconveniens putare, creaturam posse esse coeternam suo Creatori.* Idem dicendum de aliis perfectionibus; creatura enim immensa, aut infinitè sapiens aut &c. esset quodammodo similis Altissimo, infinitè æstimabilis & amabilis &c. quæ omnia videntur ex terminis absurda.

Rationes pro Infinito.

Præcipua est illa, quæ petitur ab infinito objectivo in mente Dei, & sic proponitur: omnes creaturæ possibiles existunt simul ac per eandem cognitionem in mente Dei, qui distinctissimè & clarissimè cognoscit singulas, nullâ penitus exceptâ: ergo sicut juxta omnes daretur infinitum categorematicum verè & à parte rei, si omnes omnino creaturæ possibiles realiter simul existerent; ita dabitur defacto infinitum categorematicum objectivum, seu intellectuale in mente Dei, cum simul omnes creaturæ possibiles in cognitione Divina existant objectivè. Quod si concedatur, ruent potissima contrariæ partis fundamenta; cum retorqueri possint in hoc infinito objectivo, ubi etiam quaritur, an numerus oculorum foret major numero hominum, an ablata parte adhuc remaneat æquale &c.

Altera ratio sic proponitur: DEUS potest operari, ubi est, & quando est; sed hoc instanti est ubique: ergo hoc instanti potest ubique operari; atqui operando hoc instanti ubique, produceret infinitum categorematicum: ergo. Hoc argumentum etiam suo modo locum habet in æternitate, sicut in immensitate; nam Deus per totam æternitatem fuit omnipotens: ergo potuit aliquid producere: & si sol fuisset ab æterno, lucem ab æterno produxisset. Si dices, solem esse causam necessariam, Deum liberam: at per hoc non evincis, creaturam non potuisse esse ab æterno, sed tantum non esse necessariò, nam libertas non tollit potentiam; vel si disparitas bona est, ostende exercitium libertatis cum æternitate componi non posse; quod non facies, cum defacto volitio mundi fuerit liberrima, & tamen ab æterno. Deinde si Deus non potuit aliquid producere, nisi in tempore, tunc necessariò per æternitatem integram fuit impotens agere, uti impotens esset agere in immensitate, si non posset ubique aliquid producere, quæ omnia videntur æquè incomprehensibilia, ac ipsum infinitum, si actu daretur.

His & similibus argumentis asseritur vel negatur possibilitas infiniti; sed in hac materia facilius est, difficultates proponere, quàm solvere; quod tamen faciant necesse est, qui alterutrum propugnant & amplectuntur: quo successu, aliorum esto judicium. Certè vis argumentorum videtur major, quàm claritas responsionum; & tamen, quod mirum videri possit, utraque pars opposita suos habet propugnatores, qui ita sibi satisfaciunt, ut acquiescant. Tantumdem ego non possum iis promittere, pro quibus ista scribo: hæc ergo sufficiant, quia, ut monet Arriaga, quò plus de hoc infinito loquimur, eò magis implicamur.

